

IPCS.

1561

271a

oo

Constat 3. XI. in d. Stiftion,  
zu Jelgava gest. 31. a.O. 1700.

oo

o

T XVII, 284.

1981.18.1A.0003.0005  
LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT  
VOLUME V

5

LUDOVICI  
HELMBOL=

DI MVLHVSINI  
CARMEN PROMO-  
TORIUM.

BRD

M. Bonifacius  
Sorpo. etc.



REVERENDO, AMPLISSIMO  
QVE IN CHRISTO PATRI,  
ac domino, D. VVolfgango VVester-  
meyer: sedis Moguntinæ apud Er-  
phordienses suffraganeo, Ascalo-  
niæcꝝ episcopo dignissimo,  
de Musis Hiericolis opti-  
mè merito. S. P. D.

Ludouicus Helm-  
boldus Mulhus-  
sinus.

**S**i tibi, non puduit quendam, furtiuæ dicare  
Carmina, recta prius, quæ sic descripserat idem  
Dedecus autoris, patroni tedium ut essent:  
Nec tua dextra tamen fuit isti parca, sed amplum  
Contulit (in Musas quia largo es pectora) donum:  
Cur egomet uereor, proprios sub nomine uersus  
VVesterimære tuo, celebri committere chartæ?  
Indecores cum nec mibi suspicer esse futuros,  
Nec fautore suo, (si quo fortasse fruantur)  
Indignos: humilis quamquam sibi conscijs ipsi  
Sunt genij, scd & ingenuum quem dicere possunt.  
Cur igitur timeo tuæ eos inscribere famæ?  
Si iam dudum etiam satis est perspecta uoluntas,  
Qua Clarias ædes amplecteris, atq; colonos:  
Quorum aliquantisper Respub. ut auctior esset,  
Sponte quadringentos florencs, sponte dedisti;

Hinc

Hinc adolescentes dissertatoria quotquot  
Arma alacres tractant, uacuis plerunq; diebus,  
Præmiola accipiunt, studiosi alimenta laboris.  
Sic exercitijs etenim iuuenilibus ardor  
Crescit, & augetur sua delectatio ludis.  
Quare etiam memores post sæcula cana nepotes,  
(Si quis erit Musis locus hic) tibi gratiam habebunt,  
Gratiam agent, & erat iam nunc ea maximè agenda.  
Omnium enim fautor, quoad est passura facultas,  
Elargiris opes, & dona metallica doctis.  
Cur igitur timidè nostrum tibi porrigo carmen?  
Dicam: uillanus dum ciucm imitatur amictu,  
Dum ciuiis Satrapa; Satrapes comitem, & comes ipsos  
Veste duces superat, dum dux se regibus equat.  
Nonne suo, istorum quo quisq; modestior extat  
In statu, & antiquos retinet sine criminie mores,  
Nonne dolet: nullo discrimine quosq; probari,  
Nobilitate licet sint, & uirtute munores:  
Quam tamen in dictis, in gestibus, atq; superba  
Præ se ueste ferunt ingentem: ideoq; priores  
Inueniunt sellas, medium intra Cæsaris ædem.  
Hoc oculis spectans, plerunq; modestior ægris,  
Sit licet ijs multo generosior, attamen aulis  
Abstinet, & regum penetralia adire ueretur.  
Haud secus, insinuant dum se nunc undiq; falsi  
Principum amicitiae uates, mentitaq; uendunt  
Carmina, ego procerum uix ausim limina adire.  
Præterea faciles qui sunt, non omnia ab ipsis

A ij Cuiq;

Cuiq; petenda scio: siccårunt magna bibendò  
Flumina Xerxæi pedites, angusta benigni  
Vena ncdum fontis non exsiccatur: abunda  
Cum te igitur norim multis iam dona deditse,  
Non temerè uereor, tibi nostrum offerre poëma.  
Atq; quis urget, ais? nemo per sydera nemo,  
Præter eum genium, qui pectora grata reformat,  
Nec sinit obduci pulchris obliuia rebus.  
Is iubet, ut memori répetam tua munera mente,  
Quæ mihi contuleris, neq; re, neq; uoce merenti.  
Is iubet, ingratus ne debitor usq; reprehendar,  
Exiguum hoc Carmen tibi V Vesterimære dicare.  
Tu patre, & Charitum nostrarū haud despice dotes.

PROMOTIO MAGISTRO.  
rum, Erphordiæ celebrata, Anno  
M. D. LX. Rectore M. Got-  
frido Berckman, Decano  
autem facultatis Philo-  
philicæ M. Hermanno  
Hausen existen-  
te.

AD PROMOVENDOS, DE  
modestia in gradibus petendis  
obseruanda.

**Q**ui petiere gradū, titulūq; alicuius honoris,  
Candida gesserūt olim indumenta, quid illud?  
Candidæ honestatis sint pectora plena: decorem  
Intus ament uerum, decora hæc externa petentes.  
Stultus is est nimium crassus, qui nomine saltem  
Gaudet honorifico, qui eius nouitate, nouatum  
Se quoq; continuò putat: haud ego doctior esscm  
Cras, modò doctoris licet arduo honore potirer.  
Consulis officium cui commendatur, an illi  
( Præditus ante nisi fuerit ) mens consule digna  
Contribui pariter mera per suffragia quibit?  
Nomina mutantur solummodo, corda, uel artes  
Sunt eadem. quarè quem sic noua fama titillat,  
Vt uelit audiri nouus, atq; priore uocantem

A iij Nomine



Nomine despiciat, puer est, & ineptus, & excors.  
Gloria si qua etenim titulorum est, illa profecto  
Maxima erit, quæ de sacro baptisme manat.  
Hæc loquor, ut moneam, quam rara modestia uirtus,  
Quanto & ob id studio sit digna: sed ordine coram  
Vos quinq; astantes, aliquod nunc ædite uestri  
Ingenij specimen, sunt dos uirtutis honores.  
Hos igitur uobis deberi, ut publica cernant  
Atria, facundis nunc illam ostendite linguis.

CARMEN

# CARMEN DE ETHNICA

Philosophia, quod nimium scilicet  
cet eidem a Christianis  
tribuatur.

Sæcula nunc ea sunt, ea sunt contagia mundi.  
Sunt ea Noiadum præcordia ubiq; ncpotum  
Vi meliore uia quo quæ dducere tenies,  
Hoc minus obsequio dignus uideare: locutus  
Sana, per insanias suasor dimittitur aures.  
In uetus adeò mores hæc nuditur ætas.  
Propterea cum iam me publica functio fistat  
Conspicuum, iubeatq; sonoram intendere uocem:  
Dicendum quid sit, dubito: scurrile probatur  
Colloquium Satyris: sed castis carmina Musis  
Debo, tota quibus iam pridem fabula sorbet,  
Quæ uel Mœoniæn graui in impietate uolutat,  
Ascræumue, Deos facientem idola, fatigat.  
Dæmonicæ inter tenebras adoleuit uterq;,  
Ethnicus hinc per eos est uaticinatus Apollo.  
Iste dehinc sileat, delubraq; Pythia claudat.  
Sanctior in terras etenim descendit Olympo  
Vates, Augusto totum dominante per orbem,  
Isaidæ in patria, patrio sine semine natus.  
Hunc minus ac fas est, quam fas impensis illuna.  
Vsq; coli dicam: uerax me iudicet auris,  
Verax sola potest auris sua iurgia ferre.

A iij Apia

Apta sed unde meus sumet primordia sermo?  
Per mare cursuræ nauis, uestigia littus  
Prima dat: hinc tumidos per fluctus ardua fertur.  
Litoris instar habent puerilia, primus ab ipsis  
Nanq; gradus uitæ est, reliquos hinc itur ad annos,  
Casibus expositi qui sunt, uelut unda procellis.  
Est puer absq; malis affectibus, ante parentes  
Cruribus incuruis repit, robustulus inde  
Mittitur in ludum: quid ibi post grammata ciscit?  
Christi discipulus fit, & oratoria labris  
Verba bibit teneris, quibus ad cœleste tribunal  
Protinus accedens, cœli, terræq; monarcham  
Alloquitur, rogitans ab eo, quæcunq; saluber  
Corporis, ac animæ status omnibus exigit annis.  
Hinc ad Apostolicas deflectit lumina gnomas,  
In quibus agnoscit fidei fundamina nostræ,  
Quid pater, & quid sit sancto cum flamine gnatus:  
Vnde creati homines, post lapsum quando redempti:  
Et quibus usuri sint hæc post sæcula fatis.  
Dicta nec ignorat, tabulis quæ scripta duabus,  
A domino accepit Madiani in uertice montis  
Amramides, retulitq; uiris sua signa secutis,  
Per steriles montes A Egypti, Erythæaq; stagna.  
Quò simul ac Pharao est etiam progressus, atroci  
Israëlingenas gladio ut deleret, aquarum  
Obrutus aggeribus, cum toto exercitu obiuit.  
Tunc resupinus equus calcavit calcibus undas,  
Versauitq; uirum, iam iam moritura per æquor

Brachis

Brachia iactantem : leuia & tunc arma natarunt,  
Vimbones, Clypei, Martisq; sedilia currus.  
Ista sed infandi populi demersio, cuius  
Indicium sacri fuit ? an non, corpora nuda  
Quod lauat infantum : quod dignum morte reatum  
Tollit, ut in Christo crescant, quicunq; renati.  
Nonne simul tenero hæc pius ore scholasticus haurit ?  
Verbaq; Tarsensis scit, idem testantia, Pauli?  
Quin etiam illa tenet, quæ, postquam assederat inter  
Bis senos iuuenes Deus, atq; homo solus Iesus,  
Mirifico fuerat de pane, meroq; locutus,  
Sanctius an quicquam diuina uolumina tractant ?  
Sed dapibus sunt hæc solum cœlestibus aptaz  
Quæ reliquas deceant epulas, potuq; , fouendis  
Visceribus natos, Iessæi ex ore Poëtæ  
Accipit, atq; astans mensæ pia Carmina fatur.  
Virginea porrò Christi cum matrè, tenellis  
Concinit in templo labijs, celebratq; potentem  
Insima cum summis ualido mutare lacerto.  
Nec nihil est, quod uel deponens membra cubili,  
Aut iterum inde leuans, dicat : modò fausta precatur  
Tempora, pro faustis grates modò iactat ad astra.  
Atq; Deum præter nil scit, loquiturué, canitue  
Aut etiam scribit : puerum consistere iuxta  
Talem, quis Stygijs ex seductoribus ausit ?  
Angelico incedit comitatus ubiq; sodale.  
O super ætates ætas optabilis omnes,  
Christicola quæ sic à præceptore doceris.

A p O flos



O fl̄os sancte, Deo gratos qui spargis odores;  
Delicias domino prebes infania, purum  
Ex lactentis enim decus accipit ille labello.  
Haud temere, uerax Christi te lingua beatam  
Predicat: haud temerè tibi cœli adiudicat arcem;  
Nec, nisi fronte tua qui seſe ostenderit, ipsam  
Ingredietur, ait. sed mundo nonnè uidetur  
Ridiculum, quicquid puerile est? ipſe redemptor.  
Ludibrio artifici fuit, hoc astutus in orbe  
Qui uaria ingenij errorum alimenta ministrat.  
Iste quis est? referam: cœlos habitauerat olim,  
Spirituum in numero præclarus & ipſe bonorum.  
At subolens, patris æterni quod ab æthere proles  
Descensura foret certò post tempore, ut artus  
Induceret fragili compostos carne: decorum  
Se magis admirans, dignum potiore putauit.  
Sede, creatorisq; sui affectauit honores.  
Propterea electus superis, nunc infera regna  
Possidet, hoc unum cupiens, contraria Christo  
Quæ sunt, ut rutilent, uileſcant cætera in umbris.  
Obtinuit cunctis id rerum ab origine sœclis.  
Blandiloqua primos decepit uoce parentes:  
Forte dijs, inquit, uos hæc pulcherrima poma.  
A Equipares reddent: placuit promissio auaris  
Gloriae. idem uitium mortem intentauit Abelō,  
Sanguinolentus enim (Sathanā inspirante) Cainus.  
Credidit, egregium fore se, clam fratre perempto.  
Nec mora, reprehensus fuerit licet, ardua struxit.

Mœnia,

Bœnia, & imperium fundavit, splendida honorum  
Officia instituit, patri aduersatus Adamo.  
Sic & Noigenæ studia in contraria fratres  
Denuò abiuerunt, reduces post æquoris undas.  
Nequior in proprio Chamus est genitore repertus.  
Turrim Nimbrothus conuexa sub astra minacem  
Cœperat, & curua in terras præcordia hubebat.  
Scilicet hic Sathanæ labor est, offundere densas  
Syderibus tenebras, miscereq; sacra prophanis:  
Ac hominum argutas adeò corrumpere mentes,  
Dæmonum ut in scriptis tempus consumere malint,  
Quàm legere, ætherij quæ flaminis aura profudit,  
Non aliunde, nisi æternis ex fontibus hausta.  
Quarè etiam nullum finem admittentia, durant  
Perpetuò: nec enim rerum mutabilis autor,  
Nec uariabilium Deus est sermonum imitator.  
Quis neget hoc? nemo, qui se cognomine Christi,  
Induit, agricolæ is, seu ciuis munia gestet.  
Non dubitandum igitur de doctis, fortè rogati,  
Quin fateantur idem, siue oratoria tractent,  
Seu naturarum studeant cognoscere causas,  
Seu benè uiuendi tradant præcepta: quid ipsos.  
Theologos, Medicos referam, quid iure peritos?  
Omnium in ore Deus fit maximus optimus; audi,  
Omnium in ore Deus nihil approbat, absq; profundo  
Pectoris affectu, sursum qui emergere flagret,  
Posthabit is tricis, animi quæ viribus obstant.  
Taliter affectos (rudium iam misto catervam)

Ingenium

Ingeniosorum num quos Collegia nobis  
Exhibeant, fretus certo ductore uidebo.  
Sunt pia (ut ex dictis patet) anteriore scholarum  
Quæ sub uestibulo, post Alpha, & beta docentur.  
At uelut infantes pendemus ab ubere matris,  
Et bibimus, (quo nil habet ista salubrius ætas)  
Lac, teneris etenim concrescens artubus, auget:  
Mox, simul ac tangit nos temporis amplior ordo,  
Ingentes Cyathos, nocua ebrietate tumentes  
Haurimus: moritur, dederat quem mamma uigorem.  
Sic sacra uix leuiter cum sunt libata, nefandi  
Dogmatis in uastum pelagus detrudimur, imbre  
Præcipiti obruimur, diuina elementa fathiscunt.  
Quilibet in seipsum descendat, quilibet æqua  
Expendat trutina, per tot quibus hæserit annos  
In studijs: reputet, neq; uera pudore recondat.  
Artibus utendum est, neq; quis reprehenderit ipsas,  
Sunt, & erunt nunquam non dignæ laudibus artes.  
Sunt rationis opus, qua quisquis abutitur, odit  
Se, neq; quippiam amat, quamuis uideatur amare.  
Mentis inops etenim, confundit mella uenenis.  
Irrationales quid si conuincimur omnes?  
Irrationale est postponere sacra prophanis.  
Quis facit hoc? ueteres stupidè qui spectat Athenas,  
Qui per Aristotelis uestigia cautus ut intret,  
Solum habet in uotis: qui scripta Platonica uersat.  
Qui Graias simul historias, latiasq; reuoluit:  
Nec sinit intactos mundi phantasmatu uates.

Propter

Propter opes etiam Medicinæ addictus, eodem  
Crimine damnatur, neq; sunt immunia iura.  
Theologos fuso tinctos qua fronte probarem?  
Excipiendus erit mihi solus præco fidelis.  
Nil scio, quod morer in reliquis, Ciceronica dicit  
Me Phrasis oblectat, nihil est iucundius ipsa,  
Nil magis ornatum, superat dulcedine mella,  
Lene fluens mulcet, plausum & grauitate meretur.  
Non equidem inferior: sed si tibi Biblia sordent  
Sacra, minus lepido quod sint sermone polita:  
Dic age, Magdaliden quo tempore cernere malis,  
An quoties nitido meretrix processit amictu,  
Blanda genas, ridens oculis, collecta capillos:  
An potius, genibus cum se acclimauit iœsu,  
Mœsta genas, lachrymans oculis, neglecta capillos:  
Dic age, quæ tua sit sententia: si quis honestam  
Coniugem habens, fidam thalamo, rebusq; gerendis  
Sædulam, at ore paru blandam, neq; fronte uenustam:  
Dic, si desereret, Chrysidemq; pudoris egenam  
Eligeret, propter fucatum corpus amicam.  
Increpitans certè, quæ te impurissime cœpit  
Spurcites? exclamares. concesseris ergo  
Et mihi, ut exclamem, quæ te stolidissime cinxit  
Caligo? ut nequeas puram discernere lucem  
A tenebris, quæ tanta tibi uesania mentem  
Corripuit? castis incesta attexere ut ausis.  
Christiadum certè sibi qui defendere nomen  
Serio auet, nihil in terris imitabile ducit,

Præter

Præter cūm spousum, qui non extrinsecā spectat  
Virginis ornamenta suæ: sed ad intima uersus,  
Gaudet, & ut saluis uiuat uirtutibus optat,  
Sponsus is est Christus, sponsa est ecclesia: præter  
Pectora fida, aliud quid quæsò requirit in ipsa?  
Diuitijs careat licet, & (quia humillima) cunctis  
Sit reprobata uiris, trahat ægrum languida corpus:  
Cum facie informi, grauiis adsit anhelitus oris:  
Omnia nil obstant, mens omnibus integræ præstat.  
Et, ueluti rerum graue olentes ignea fordes  
Excoquit, ac puram uis uoluit ad æthera flammam;  
Lumine discutiens prætensa umbracula noctis.  
Sic interna fides tanto splendore resulget,  
Ut macula in nihilum, labesq; externa recedat.  
Pulchra superficies oculerum est esca malorum:  
Pascitur occultis animus bonus, atq; quietescit.  
Talia Apostolicus docet, atq; Propheticus ordo.  
Quæ rudia apparent plerisq; uocabula, sancti  
Flaminis instinctu sunt prodita: tu ne quod illi  
Obijcies uitium? tu castigabis, & ore  
Discat ut humano diuina ornare iubebis?  
O furor, in quem præcipitat sua quenq; uoluntas.  
Absq; Paracleto nulla est sapientia, eundem  
Ergo quid incusas? sub simplice uoce latenter.  
Erue, si poteris, sensum: non terra, polusq;  
Id capiunt, dices, quod continet una tabella.  
Huc erat intendenda acies, ubi cernere solem  
Absq; errore datur: nox irrita lumina reddit.

Ingenio

Ingenio tubes obducunt Ethnica scripta,  
Quò minus arripiat sublimia dogmata Christi.  
Et potiora licet sciat hæc, tamen hæret in illis.  
Causa patet, sua cuiq; manet charissima proles:  
Coruus amat coruū, uox rauca, nigerima penna est;  
Alterius nec avis specie, neq; uoce mouetur.  
Sic humana suos foetus mens diligit: error  
Hinc per mille vias crumpit, & omnia complet  
Atria doctorum: cuius sua opinio constat,  
Vnicè & hac delectatus, cœlestia linquit.  
Nempe nihil præstare potens insigne, iocatur;  
Altaq; desuetus contingere ludit in imis.  
Atq; utinam ludum dicamus nostra; iocumq;  
Sed neq; diuinitis ea deteriora putamus.  
Infantum similes, patrum qui grandibus actis  
Ludicra componunt sua: cœca imitatio fallit.  
Cœca uetusorum sunt tunc ta poëmata uatum;  
Vaniloquis strepitant Musis: uestigia adorans,  
Assequi & enitens Andinus cantor Homeri,  
Quid potuit præter mendacia dicere? falsos  
Fingit uterq; Deos, hinc omnia falsa sequuntur;  
Et tamen æmulus est istorum nunc quoq; mundus:  
Carmina nulla placent, neq; præstò Camœna uidetur;  
Ni Corybantes cant, Cybeleia sacra canentes,  
Curetesue strepant, cunas Iouis ære tuentes.  
Pœnitentia lingua tali infecisse ueneno:  
Pœnitentia nos Christiadas. notissima multos  
Ema uiros celebrat, sacro qui fonte lauatis;

Nil



Nil cecinere aliud, quam illota Thalia Catulli.  
Vtilius certè ijs foret ignorasse Poëtas:  
Namq; cui multum est commissum, multum ab eodem  
Exigitur: leuius peccat, qui nescit amissim.  
Nulla locum nostris habet excusatio sœclis,  
Sunt manifesta, Deū quæ monstrant scripta: & ad oēs  
Ex æquo spectant, pueros, iuuenesq; senesq;.  
Regibus utilia hæc sunt, ciuib; atq; Colonis  
Conducunt, neq; uir sine ijs, neq; fœmina uiuet:  
Cætera per centum sata diuersissima sectas,  
Ignorare iuuat, multos didicisse pigebit:  
Rebus enim impendi debebant otia dignis.  
Verū nulla adeò quid consuetudo recepit,  
Ac legere, autorum quicquid dedit ægra uetusas.  
Percipere hinc etiam qui fructum deniq; speras,  
Fac imiteris apem, quæ florea rura pererrans,  
Ni collecta, domum facienda ad mella referret:  
Frustrà operaretur, sociumq; offenderet agmen.  
Sic tu, per ueterum scriptorum prata uagatus,  
Quæ bona decerpsti, nisi cuncta dicabis ijesu:  
Ni pium in augmentum conuertes, fruge carebis.  
Hoc uos quinq; uiros iam dudum scire, nec alta  
Firmius infixum quicquam sub mente tenere,  
Arbitror: imo etiam mihi sic persuadeo, uestris  
Ingenijs tantas usu consistere uires,  
Ut nihil impiè agi, nil dici sponte feratis.  
Ut decus à turpi fupo dignoscere honestum,  
(Quod nihil est aliud, quam se ipsum nosse) sciatis.

Artibus

Artibus ijs, quæ sunt moderabilis organa mundi,  
In sapiente uiro, sic profecisti: easdem  
Ut profitendo, alios possitis deinde docere,  
Talia de uobis constant suffragia, tales  
Vos explorauit nostri censura senatus.  
Altius ergo animis quando ascendisti, in altum  
Nunc quoq; adeste locū latus & mihi claudite dextrū.  
Dexteritatis opus meditor, præstabog; dexter.  
Munera tot cuiuis uestrum donabo, quot olim  
Stellisequæ portauerunt ex Perside Christo.  
Nostra quidem non sunt illis æqualia, puris  
Esse tamen manibus quoq; suscipienda, probabo.  
Purpurea hæc uestris imponite pilea coelis.  
Aureolis digitos rotulis arctate sinistros.  
Libros, in promptu quo sint, apponite dextris,  
Pilea purpureum designant sanguinem iesu,  
Quem crucis in ligno misera pro gente profudit,  
Hunc memori, atq; pio meditemur pectore, ad eius  
Configiarnus opem, graue si quod forte periculum  
Ingruit: hostiles per eum superemus & astus.  
Sit, ueluti toto caput est in corpore summum,  
Summus apex mentis, sub quo tranquilla quiescat.  
Æs manui addictum est, sed qua ratione sinistræ ē  
Divitias inter, primas tenet aurea gaza:  
Tantam & auaritiam multorum cordibus adfert,  
Ut nihil in mundo ducant pretiosius: optent  
Nil magis, ac nummos cumulare, expendere nunquam.  
Hoc lethale malum, Stygiuq; palude piandum,

Ut deuitemus, monet aurca Zonula, leuæ  
Addita, opesq; docet uix dignas corpore tangi.  
Vilior est etenim manuum, pigriorq; sinistra,  
Multò igitur minus ijs locus intra pectora detur:  
Quod licet ex ipsis naturæ fontibus haurit,  
Qui propensior est uirtutibus, attamen error  
Lubricus obrepit doctis non raro magistris:  
Propterea dextræ liber assignatur, ut ipsum  
In dubijs reserans causis, occulta recludat,  
Quæ relegens oculis animus perpendat, eaq;  
Cuncta fide doceat, quam dextera spondet amico.  
Hæc mysteria sunt donorum: iudico iisdem  
Vos pariter dignos: susceptaq; munia complens,  
Iure magisterij, tituloq; graduq; corono.  
Omnia fausta bono preccr hæc Deus omne reddat,  
Augmentumq; suo feliciter addat honori.

Responsio ad quæstionem, à Magistro  
Vito Byschero Huxariensi proposi-  
tam, An scilicet summum bonum  
humana ratione inuestiga-  
ri possit.

**S**VMMI Vite boni quanto tenearis amore,  
Quæstio declarat tua: quærens scire laborat,  
Irrita nec semper facit hoc conamine uerba:  
Sed uoti compos fit, abitq; peritior, eius  
Si fuerit nactus responsum, mente sagaci  
Quis ualeat, & rerum grandæuo nititur usu:

Hunc

Hunc mihi uita negat, nondum stabilita per annos,  
Illa datur paucis, ut sint discreta uirorum  
Lumina, stellarum uelut & discrimina constant.  
Sol rutilus totum radijs illuminat orbem,  
Luna secat noctis tenebras, trepidantia circum  
Astra micant, quædam uix exalbescere cernas.  
Talis ego doctos inter, nam rara reuolui  
Scripta, nec expertus quid sum, paucissima noui.  
Diues at ingenium tua quæstio Vite requirit.  
Dic ait, humanæ num posse acumine mentis  
Inuestigari, res felicissima rerum ?  
Optima, sola homines quæ reddat ubiq; beatos.  
Quæ nihil optandum post se per uota relinquat,  
Sed desiderij requies sit, & ultima meta ?  
Summum quippe bonum sic laudat & ipsa ueritas,  
Hanc uocat in dubium Thesis exutienda, fidemq;  
Philosophis adimit, uarie de fine locutis.  
Felicissima res Epicuro est uisa uoluptas.  
Viuere auct Rhodius Hieronymus absq; dolore.  
Carneadæ, primum quod fert natura, probatur,  
Vult Diodorus honestatem, sed ab aspero abhorret.  
Delicias Calipho uirtuti adiungere gestit.  
Ordine Aristoteles triplici bona cuncta prehendit.  
Utile Zeno nihil concedit, præter honestum.  
Haec septem triplici distant discrimine fines,  
Tres sine honestatis titulo sunt, tres ad eandem  
Adiiciunt aliud, solam approbat una decorum.  
Turpia qui admittunt, quis eos errare negabit ?

B ij Qui.



Qui prohibent, sed & à fortuna, ac corpore pendent,  
Constituuntne bonum, cupientes lubrica, firmum?  
Nec satis ille scopum tangit, qui cætera linquens,  
Solum quod decus est, bonitatis nomine donat.  
Namq; quis est, tantum decoris qui præsttit unquam?  
Ut nihil ulterius cuperet, factumq; putaret  
Iam satis? in uitium talis persuasio dicit.  
Ac ita in humanis quòquò conuertere rebus,  
Obuiat extremo defectus in agmine, miles  
Omnia prosternens, quæ pro fundamine habebas.  
Nil igitur ueteres animis per cuncta uoluti,  
De felice statu referunt, quod credere fas sit.  
Scire sed & causam uis? cum tam sædula eorum  
Ingenia extiterint, quòd uerum prehendere finem  
Nequicrint, nulli parcentes usq; labori.  
Accipe, namq; tibi hoc responsa per Ethnica soluam.  
Principij ignarus, nescit contingere finem.  
Vnde sit humanum genus ortum, totus & orbis  
Vnde sit enatus, mentis solertia nescit:  
Ergò nec id poterit, quò tendant omnia, scire.  
Iudicium porrò per idem contraria oportet  
Noſſe: mali ignorant summi præcordia riuum,  
Insidias colubri, & lapsum imprudentis Adami.  
Qui poterunt igitur se tanto extendere tractu,  
Perpetua ut uideant fontem bonitate scatentem,  
Scilicet eterni natum patris? omnis ab ipso  
Cœpit origo boni, sunt sydera facta per ipsum,  
Ipse mare, & terras fundauit, & incolam ijsdem

Imposuit,

Imposuit, male huic ueniam impetravit agentem.  
Natus enim mortem tulit, et rediuius ad astra  
Transiit: hoc casto, fidenteque credere corde,  
Seq; redemptori totum committere Christo,  
Est aeterna, nedum sit (ut aiunt) uita beata.  
O miseros igitur, quos uana scientia mundi  
Inflat, ut eximios titulos, sacrataque sumant  
Nomina, Philosophos se etenim plerique salutant.  
Atque imitatores istorum huc usque supersunt:  
Pythagoram laudo (quamuis laudabile nil sit  
Abique fidelis animo) sapientes Graecia septem  
Prædicat, is dici maxult sapientiae amator,  
Captui enim sentit suo id insuperabile nomen.  
Quid faceret, nostro si tempore uiueret, idem est.  
Morosophum certè se diceret, atque reiectis  
Ilico ludibrijs, sequeretur dogmata Christi,  
Huius amatorum se dici optaret, et esse.  
Nos quibus ante oculos sita sunt, resonantque per aures  
Verba Dei, propria uolumus ratione beari.  
Sed uelut alta domus uix dum constructa, ruinam  
Vento si faciat, nequit in sua membra redire,  
Ni faber accedit: sic mens corrupta, salutem  
Restaurare nequit, nisi conditor ipse reformet.  
Nec Deus inuidus est, nec iniquus, ut optima paucis  
Impetranda uelit: totum cum consule uulgas,  
Agricolæque rudes uita felice carerent,  
Si foret ingenij subtilibus illa petenda.  
Ausferat hunc animis errorem gratia summi

B iiij Numinis.

Numinis: ad Christi meritum omnis terra uocatur.  
His breuibus iam sit tua quæstio Vite soluta,  
Accipe quo data sunt animo, et mihi gratus abunde es.

## GRATIARVM ACTIO.

**S**i mihi pro paruo tot aguntur munere grates,  
Quot recinamus ei, qui, quicquid ubiq; bonorum  
Accidit hic uitam benè agentibus, exhibet unus.  
Aere quòd fruimur, supera quòd uescimur aura,  
Quòd modò in hoc tulerint sua quēuis crura theatrū,  
Quicquid & est dictum, uel factum, munus ab illo  
Arbitror, æternas iactemus ad æthera laudes,  
Pacifici inter nos, maiorum iura uerentes.  
Sic Gotfride iubes, iam nostri sceptrā palati  
Qui geris, ex animo cupiens hæc salua Lycæd.  
Est eadem tua mens Huseni, cuius amori  
Acceptum refero, quo iam sum munere functus.  
Vos, reuerenda quibus uel gratia, siue facultas  
Docta, dat egregios titulos, & gignit honores,  
Opto uiri multos ut ab hinc uiuatis in annos.  
Nemo sit exceptus, felicia fata cuiuīs.  
Opto, mihi placidas aures qui præbuit, ite,  
Ite, diu stetimus dehinc forte sedebimus, ite.

## Exhortationes ad conuiuas in prandio.

I.

Magnifici,

**M**agnifici, reverendi, excellentissimi honorum,  
Doctrinæq; uiri titulis, accepta roganti  
Omnia sunt, prompta q̄ præstāt mēte rogati.  
Accidit aduentus sic, & præsentia nobis  
Vestra, quod ulterius petimus, præstetis & ipsum.  
Dona Dei, quibus hæc oneratur mensa, probate,  
Læticiaq; animos, neq; non perfundite frontes,  
Gratius hoc nihil est, fieri quod tempore possit.

II.

Dat quidem ubiq; Deus, uerūm non qualibet unum  
In regione cibam, de cœlo Manna pluebat,  
Arida & ex petra potabilis unda fluebat,  
Corniger Hebræum Moses cum ducret agmen,  
Hoc malè contentum ijs donis, dedit ilicò pœnas.  
Triticeos panes profert, cum dulcibus iuis,  
Esui & haud uetus carnes hæc natio: ijsdem  
Contenti, ac hilares coniuæ estote, rogamus.

III.

Turba sequens Christum ieiuna, ut multa locutum  
Audierat, dapibus tandem recreata refedit.  
Vos quoq; ieiuni, nos non ita pauca locutos  
Audistis, dapibus nunc ergo fruamini amicis.

III.

Et sator est hominum Deus, est & pastor eorum,  
Diues frumentis, diues merum olentibus undis.  
Sollicitas igitur secludite pectore curas,  
Pabulaq; h iud tardis gustate salubria labris:

V.

Quale

Quale suis epulum Iosephus fratribus olim  
Exhibuit, tale & uobis contingere nostrum  
Expetimus, saturati epulando, uina biberunt,  
Ebrij & à mensa fraterni abiere fauoris.

VII.

Craftina sollicitent nullum conuiuia, dicit  
Christus, lætificant igitur præsentia quemuis.  
Illiū hæc etenim constant iam certa fauore,  
Craftina suspendunt, sed & is post craftina abundat.

P  
Pg 344 9a



f

56.

hC



## Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

